

sanae mentis homini luculenter patebit.

134. QUARES XXIX. An miraculum ascensionis Christi in coelum sufficientes notas credibilitatis habeat ad refellendas incredulorum cavillationes? R. Affirmative. Nam Christum in coelum revera ascendisse, res facti est, quae argumenta suae credibilitatis evidentissima habet. Antequam hoc ostendam, rem, quomodo gesta fuerit, paucis exponamus. Itaque Iesus discipulos suos congregatos *eduxit foras in Bethaniam; et elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno* (1). Iam vero multa sane in hac narratione quoad rem nostram observatione digna occurrunt. I. Non unus, aut alter tantum, sed multi (2) Christum in coelum ascendere viderunt. II. Illi ipsi Christum in coelum ascendere viderunt, qui de veritate resurrectionis eius antea dubitantes, postmodum de eadem per evidentia argumenta omnino convicti fuerant. III. Discipuli non per somnium, aut imaginariam visionem, sed *videntibus illis* (3), et *dum benediceret illis* (4), Christum in coelum ascendere viderunt. IV. *Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Vi-*

ctam diatribam de resurrectione Christi, aevi nostri incredulis oppositam, auctore Thoma Holtzktau. Wirecburgi, 1780. — Nostratibus commodius erit consulere: Les témoins de la résurrection de Jésus-Christ, examinés et jugés selon les règles du Barreau, pour servir de réponse aux objections du Dr. Woolston, et traduit de l'anglais etc. Paris, 1755 (Auctor operis, Sherlock). *Nota Editoris.*

(1) Luc. c. 24, v. 50-55.

(2) Vide *Cornel. a Lapide* comment. in Act. c. 1, v. 4, et Luc. c. 24, v. 50.

ri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum (5). V. Tandem ab hac visione omnes discipuli *regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno* (6).

Res ergo, de qua agimus, non unius, aut alterius tantum, sed plurimum, et quidem simul, et eodem tempore est confirmata testimonio. Sensuum igitur illusio, aut phantasiae deceptio hic nulla timenda, nec probabili ratione ostendi potest, ullam tunc adfuisse. Pluribus hoc nostrum ratiocinium confirmat cl. *Thomas Cerboni* (7), qui simul ostendit, deistas nullo verisimili argumento probare posse, Christi discipulos in enarranda magistri sui ascensione fuisse mentitos (8).

135. Sed OPPONIT *Horus* (9): Ipsa ratio dictat, quod aeterna et immutabilis lex gravitatis corpus humanum prohibeat recta sursum in aëra ascendere, etc.; ergo ascensio Christi in coelum est conficta, et in fanatico discipulorum Christi cerebro nata, qui cum magistrum suum revera a mortuis resurrexisse crederent, et quo pervenerit, nescirent, sibi persuadebant, eum in coelum ascendisse. R. Ut corpus miraculose ascendat sursum in aëra, non est opus, ut lex gravitatis a Deo auctore naturae statuta mutetur; sed solum, ut, quando ab aeterno hanc legem tulit, fecerit exceptio-

(5) Act. c. 1, v. 9.

(6) Luc. c. 24, v. 51.

(7) Act. c. 1, v. 40 et 41.

(8) Luc. c. 24, v. 52.

(9) Theol. revelat. tom. 2, l. 5, q. 1, art. 2, § 4, prop. 2, p. 172-176.

(8) Porro de veritate historiae evangelicae de vita, gestisque Christi Domini nos ipsi quoque supra sect. 2, q. 1, n. 20-22, fuse egimus.

(9) In detestando suo opere, iam saepius citato, pag. 460.

nem eiusmodi eventus miraculosi in tempore futuri, prout revera absque mutatione sui decreti facere potuit; quemadmodum supra (1) fuse ostendimus, ubi de *miraculis in genere* egimus.

136. SCHOLION. Ad parcendum tempori taceo alias quasdam *Hori* cavillationes adversus historiam evangelicam ascensionis Christi prolatas, et publicis typis iam satis refutatas. Illud solum addo, mira-

bile factum ascensionis Christi in coelum invictissime etiam confirmari per eventum eorum omnium, quae Christus ante ascensionem praedixerat, ex. gr. circa *missionem Spiritus s.*, circa *praedicationem apostolorum, iudaeorum et gentilium fidem, etc.* Alia insuper argumenta ad confirmandam credibilitatem ac veritatem eiusdem mysterii, cl. *Goldhagen* (2) more suo erudite adducit.

SECTIO IV.

DE MORALI CHRISTI DOCTRINA IN EVANGELIO CONTENTA

137. QUARES I. An, et quomodo *increduli circa moralem Christi Domini doctrinam sibi met ipsis contradicant?* R. Haec contradictio non una tantum ex lucubratione horum hominum patet. Sic, ut alios taceam, auctor *Epistolarum iudaicarum* epist. 48 per nazarenam (id est, christianam) religionem effici homines inertes, quia ab ea docetur contemptus divitiarum, et venia acceptae iniuriae, calumniatur. Ipse idem tamen epist. 142 christianam

religionem laudat uti conformem aequitati, utilem societati, atque continentem ea praecepta, quibus potissimum animus extollitur, concluditque, verum Nazarenum perfectum esse philosophum. Sic etiam *Rousseau* in suo *Emile* (3) modo dicit, nihil esse sanctius evangelicis praeceptis, modo ea ipsi rationi repugnare affirmat.

138. SCHOLION. Quando *increduli*, ex. gr. *Rousseau* (4), *Morgan* (5), *Woolston* (6), etc. Christum, aut

cet ex eius moribus? Quam suavis vis permovendi in eius doctrina? Quanta sublimitas in tradendis morum regulis! Quanta sapientia in eius sermonibus! Quanta praesentia spiritus in suis responsis! Quam perfectum dominium in suos animi affectus! Ubi est homo, ubi sapiens, qui sine imbecillitate, et sine fastu (ut Iesus Christus) agere, pati et mori potest, etc.? Idem *Rousseau* testimonium prolixè exhibent cl. *Feller* in *Catéch. philos.* p. 2, cap. 1, § 1, et cl. *Nonnotte* in *Diction. philos. de la relig.* pag. 1, art. 11, *évangile*, prope finem. (4) Loc. cit.

(5) Teste *Ioan. Leland* in suo opere *de Scriptis deistarum*, ipse adeo *Morgan* Christum, eiusque moralem doctrinam dilaudat.

(6) Teste eodem *Ioan. Leland* etiam *Woolston* appellat Iesum *sanctissimum*, et

(1) Num. 57 et 58.

(2) *Introduct. in s. Scriptur.* p. 5, sect. 1, n. 106, p. 270-271.

(3) Celebre est testimonium, quod *Ioan. Iacob Rousseau* (*Emile* tom. 3, p. 179. *Rép. à l'archev. p. 408*) de Christo, et huius morali doctrina in Evangelio contenta perhibet his verbis: « Fateor quod maiestas Scripturae me in stuporem rapiat, sanctitas Evangelii movet cor meum. Spectentur libri philosophorum in toto suo splendore et pompa; quam exigui sunt in comparatione cum illo libro (scilicet Evangelio)! Estne possibile, librum tam excellentem, simulque tam simplicem esse opus puri hominis? estne possibile, eum, cuius historiam continet, esse purum hominem? An is loquitur stylo fanatici deceptoris, aut ambitiosi sectarii? Quanta mansuetudo, quanta puritas elu-

huius moralem doctrinam exquisitis laudibus celebrant, tamen ipsis non fidendum propter rationem iam a libi (1) contra *Horum* assignatam.

139. **QUAERES II.** *An doctrina moralis Iesu Christi, seu lex evangelica legem naturae magis dilucidet, et viam ad gradum perfectionis, ad quem omnis humana sapientia pertingere non potuit, ostendat?*
 R. Affirmative. Nam per legem evangelicam homo rectissime institutus est quoad officia erga Deum, proximum, et seipsum; prout fuse et solide ostendunt. Abbé *Pey* canonicus ecclesiae parisiensis in opere, cui titulus: *Lex naturae per legem evangelicam distinctius dilucidata, etc.* (2), cl. *Cerboni* (3), aliique, quorum hac de re dissertationes in praesentem nostram lucubrationem transferre nimis longum foret: obiectiones autem, quas deistae, et alii increduli in contrarium proferunt, in sequentibus quaestionibus dissolvemus.

140. **QUAERES III.** *Si lex evangelica tantopere (ut christiani dicunt) legem naturae illustrat, ac homines perficit, cur Messias seu Christus tam sero in mundum venerit? Quam multi enim milliones hominum interea temporis aeternum perisise necessum est, hac sola de causa, quod usque eo Christus distulerit adventum suum? Ita deistas cum Porphyrio suo argutari, primum est. Sed R. et dico, varias, easque gravissimas fuisse causas adventus dominici differendi. Et PRIMA quidem fuit, quod vellet Deus, ut homines diuturna aliquot millium an-*

num officio *Messiae* vere functum esse dicit: sed haec, ut idem cl. *Leland* observat, non consentiunt aliis *Woolstoni* scriptis, in quibus de Christo valde contemptum loquitur.

(1) Vide supra n. 29.

(2) Idem liber ex gallico in germanicum idioma versus, et sumtibus *Ioan.*

num experientia cognoscerent, quam infirmi et debiles per se ipsi essent: quantumque beneficium esset abundantior gratia Servatoris in carne iam praesentis. *Aegritudo superbiorum*, ait s. *Augustinus* (4), *facta est confessio humilium. Iam confitentur aegroti, quia aegrotant. Veniat medicus, et sanet aegrotos.*

DICES: Vituperandus est medicus, qui, ut homines ante experiendo discant, quantum posset medicinis suis, illas adhibere differret tamdiu, donec maior civitatis pars morte sublata esset. R. Magna est disparitas inter talem medicum, et Servatorem. Homines enim iam ante adventum Christi accipiebant gratiam Christi, non quidem ita copiosam, sicut post eiusdem adventum, neque intuitu meritorum Christi iam praesentis, verum venturi: accipiebant, inquam, gratiam, qua salvari possent, si vellent, id est, si modo in animum inducerent, ut ea vellent uli, seu eidem consentire. *Ante adventum Domini nostri Iesu Christi*, ait s. *Augustinus* (5), *quo humilis venit in carne, praecesserunt iusti sic in eum credentes futurum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides... Eadem fides utrosque coniungit, et eos, qui venturum esse, et eos qui venisse crediderunt. Diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, hoc est, per Christum videmus ingressos. Et adhuc clarius loquitur s. *Leo M.* (6) dicens: *Cessent ergo illorum querelae, qui impio murmure divinis dispensationibus ob-**

Nepom. Styx Augustae an. 1795 typis impressus extat.

(5) Theol. revelat. tom. 2, l. 5, q. 4, art. 1, § 1, 2 et 5.

(4) Tractat. 5 in *Ioann.*

(5) Tractat. 45 in *Ioann.*

(6) Serm. 5 in Nativitate Domini.

loquentes, de dominicae incarnationis tarditate causantur; tanquam praeteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi aetate est gestum. Verbi incarnatio hoc contulit facienda, quod facta: et sacramentum salutis humanae in nulla unquam antiquitate cessavit. Quod praedicaverunt apostoli, hoc annuntiaverunt prophetae: nec sero est impletum, quod semper est creditum... Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit; sed a constitutione mundi unam eandemque omnibus causam salutis instituit. Gratia enim Dei, qua semper est universitas iustificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non coepta: et hoc magnae pietatis sacramentum, quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus addepi sint, qui in illud credere promissum, quam qui susceperunt donatum. Ita laudatus s. pater.

SECUNDA CAUSA, ob quam Christus suum adventum procrastinavit. Ob hanc ipsam nimirum procrastinationem, agnitamque ineluctabilem in hac providentia necessitatem gratiae Christi volebat Deus, ut homines moverentur ad desiderandum diu, et enixe postulandum Redemptorem. Quod et factum legitimum ab iustis in veteri lege (1). Unde *Augustinus* (2) ad illud psalm. 83, v. 8: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis; ita ait: Desiderabant hoc salutare antiqui iusti, de quibus Dominus dicebat discipulis: Multi voluerunt videre, quae vos videtis, et non potuerunt.*

(1) Vide Genes. c. 49, v. 48. Exod. c. 4, v. 13. Isa. c. 16, v. 4. Luc. c. 2, v. 25 et 58.

(2) Serm. 163, alias 5, de verbis Apostoli, cap. 4, n. 4.

TERTIA CAUSA: Volebat Deus velut in antecessum ostendere, quis et quantus esset futurus hic servator, cuius gesta tot saeculis prophetae nuntiassent, iuxta illud (3): *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, etc.* Unde rursus s. *Augustinus* (4) ad illud ad Galat. 4, v. 4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, subdit haec verba: *Quare non ante venit Christus?... Quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt tempora. Sciebat enim quando venire deberet. Prius per multam seriem temporum et annorum praedicandus fuit. Non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat praedicandus, semper tenendus.*

QUARTA CAUSA. Volebat Deus, ut ipsi eventus mundi essent futurorum figura, ac velut viva, continuaque prophetia. Sic enim illi, quos aliquando docturus esset Messias, in historia praeteritorum praefiguratas res praesentes intelligebant, atque efficacius movebantur ad eius doctrinam et religionem amplectendam. Quod ex Scriptura constat, et patres identidem observarunt.

QUINTA CAUSA. Tempus hoc quo Christus in mundum venit, opportunissimum fuit; non solum, quod principem pacis decebat venire, dum pax erat in universo mundo; sed etiam, quod prudentia civilis, studia litterarum, artes ceterae iam passim florerent, superstitione vero ethnica ac impietas propediem destruendam, summum apicem attigisset.

Has quinque causas, pluraque alia praesenti quaestioni dissolvendae perquam idonea offert cl. *Weis-*

(5) Actor. c. 40, v. 45.

(4) Tract. 51 in cap. 7 Ioan. n. 5.

senbach (1), ex quo ista desumpsimus, citans hanc in rem s. Athanasium (2), s. Chrysostomum (3), s. Augustinum (4), et Theodoretum (5): item Dionysium Petavium (6) et Franciscum Amatam Pouget (7).

141. QUÆRES IV. *Quomodo illud Christi praeceptum* (Luc. 14, v. 26): *SI QUIS VENIT AD ME, ET NON ODI PATREM SUUM, ET MATREM, UXOREM, ET FILIOS, etc.... NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS, cum iure naturae parentum, uxoris, et filiorum, etc. amorem praecipiente, conciliari possit?* R. Si ad modum loquendi Scripturae, et hebraeorum attendatur, facile est, ista inter se conciliare. Nam vox *odisse* in s. Scriptura et apud hebraeos non semper significat odium positivum, et stricte tale, sed dumtaxat minorem amorem, ut non uno exemplo (8) ostendi potest. Quando igitur Christus nobis praecipit *odisse* parentes, etc., sensus solummodo est: *Qui patrem et matrem, etc. non minus, sed plus diligit, quam me, non potest meus esse discipulus.* Et ita obiectum textum s. Lucae aliis verbis aperte explicat s. Matthaeus (9), apud quem Christus ait: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus, etc.*

(1) P. 3 Nov. form. theolog. bibl. l. 1, q. 9.

(2) Oratione de Incarnatione Verbi.

(3) L. ad scandalum passus.

(4) Cum alias, tom. 1, 2, q. 5, ac N. T. q. 85, ac praecipue epist. 49 ad Deo gratias, q. 2.

(5) Serm. 6 adversus graecos.

(6) Tom. 4 theolog. dogmatum, l. 2, cap. 6.

(7) In institution. catholicis tom. 1, c. 5, et c. 4, § 22.

(8) Sic Genes. c. 29, v. 34, dicitur: *Videns autem Dominus, quod (Iacob) despiceret Liam, seu, ut textus graecus habet, quod odio habetur Lia, et textus chaldaicus, quod odiosa est Lia, id est, quod Lia minus amaretur a Iacobo, quam Rachel;*

Neutiquam ergo voluit Christus, ut parentes, filios, atque propinquos odio haberemus, cum etiam dilectionem inimicorum nobis praeceperit, sed solum ut ne tanti eos faceremus, ut ob amorem illorum ea, quae Dei sunt, a nobis negligantur, iique in amore ipsi Deo, divinisque legibus praeponantur. Et profecto nullo modo verisimile est, quod Christus, qui adolescenti inter alia mandata ad obtinendam vitam aeternam servatu necessaria etiam honorationem parentum necessariam esse (10) dixit, qui publicae contestatus est, se *non venisse solvere legem, sed adimplere* (11), qui pharisaeos severe corripuit, quod illud mandatum divinum: *Honora patrem et matrem*, transgrederebantur (12), nullo, inquam, modo verisimile est, quod idem Servator amantissimus praeceperit, parentes positivo odio persequi; prout cl. Bullet (13) contra incredulos optime observat. Quare verba illa Christi Domini: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, etc.* neutiquam de positivo parentum et propinquorum odio, sed solum de minore amore in sensu paulo ante explicato intelligenda sunt.

142. QUÆRES V. *Quomodo cum tanto Christi in humanum genus*

prout clare colligitur ex versu 50 immediate praecedente, ubi vulgata nostra habet: *Iacob amorem sequentis* (id est, Rachelis) *priori* (id est, Liae) *praetulit.* Et textus chaldaicus, et graecus habent: *Dilexit (Iacob) Rachel magis, quam Liam.* Aliud exemplum huius modi loquendi extat Malaeh. 1, v. 2, et 5, ubi Deus ait: *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui,* id est, minus amavi. Vide *Cornelium a Lapide*, aliosve interpretes comment. in hos textus.

(9) Matth. c. 10, v. 37.

(10) Matth. c. 19, v. 19.

(11) Matth. c. 5, v. 17.

(12) Matth. c. 15, v. 5-10.

(13) Réponses critiques, tom. 5, n. 54

amore conciliari possit horribilis illa sententia (Matth. 10, v. 34 et 35): *NON VENI PACEM MITTERE, SED GLADIUM, VENI ENIM SEPARARE HOMINEM ADVERSUS PATREM SUUM, ET FILIUM ADVERSUS MATREM SUAM, etc.* *Nonne hic praedicuntur tot ac tantae christianorum dissensiones, et civilia ac intestina bella per tot saecula ob christianam religionem exorta?* R. Sic equidem increduli (1) calumniantur, sed turpiter errant. Certe suum ex illis Christi verbis conceptum horrorem facile ponerent, si modo ea in vero, quem habent, sensu accipere vellent. Legant totum citatum caput decimum *Matthaei*, et intelligent, discipulos Christi a divino hoc magistro non gladio armari ad vim aliis inferendam aut propulsandam, sed paterno vaticinio praedici, quantae occasione praedicatae aut susceptae fidei dissensiones et tribulationes ipsis etiam in familiis sint oriturae; sed in hoc quoque pugnantis quasi naturae conflictu fidem semper praefendam, et adversa quaeque constantissime etiam a cognatis et domesticis toleranda; prout *Cornelius a Lap.* (2) cum aliis interpretibus optime exponit, et clare indicant illa Christi verba citato cap. 10 post versum 35 immediate addita: *Et inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

Caeterum quod Christus apostolos aliosque sectatores suos non iusserit gladio pugnare et adversarios christianae religionis occidere,

(1) Sic de incredulis referunt, eosque refutant *Bergier* in opusc.: *Réponse aux conseils raisonnables*, § 6, et *Hermann Goldhagen* introduct. in s. Scriptur. p. 5 in praefatione compendiarie refutatione dictionum a theistis contra religionem

etiam ex eo patet, quia cum *Petrus* divinum magistrum suum contra milites, qui huic manus iniecerant, stricto gladio defenderet, id pacis amantissimus Servator prohibuit, *Petro dicens* (3): *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Contrarium quidem sensit et docuit *Lutherus*, qui ex illis Christi verbis: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, demonstrare (4) voluit, novum suum systema religionis reformatae, aut potius deformatae gladio, seu armata vi introducendum esse: sed, ut supra ostendimus, longe alia est mens Christi Domini illa verba proferentis: imo eodem cap. 10 Matth. v. 16-23 discipulos suos monet, quod eos *mittat sicut oves pacificas in medio luporum*, quod sint *tradendi in conciliis et in synagogis flagellandi, etc.*, nec aliam ipsis assistentiam promittit, nisi illam Spiritus s., nec alia arma, quam verbum suum.

143. QUÆRES VI. *Quomodo cum iniuriarum oblivione et amore inimicorum in evangelio tantopere commendata conciliari possint tot obiurgationes et insectationes, quibus Christus scribas et pharisaeos exagitavit?* R. Si scirent aut vellent increduli zelum divinae gloriae, et curam aliorum salutis cum caritate coniungere, non defenderent pharisaeos, quos hypocrisis, fallacia, arrogantia, et id genus vitia aetate Christi publica reprehensione dignissimos effecere. Iudaicae igitur religionis et reipublicae intererat, ut hypocrisis larva detrahere-

christianam prolatorum, pag. 18. Item in eiusdem operis p. 1, n. 102.

(2) Commentar. in Matth. c. 10, v. 34-38.

(3) Matth. c. 26, v. 52.

(4) De servo arbitrio.

tur, et deceptorum auctoritas apud populum misere ludificatum convelleretur, et mosaicae legis puritas vindicaretur contra eos, qui religione ipsa ad superbiam suam et ambitionem fovendam abutebantur. Rebus ita comparatis, ordinata charitas per severam obiurgationem pharisaeorum minime laesa, sed potius id, quod ea maxime urget, perfectum est. Quales porro pharisaeorum mores fuerint, non ex evangelica tantum historia, sed etiam ex *Iosepho* iudaeo (1), qui ipse secta pharisaeus erat, discere possumus: summam vero caritatem, qua Christus infensissimos quoque hostes suos complexus est, vel ab una eius precatione (2) cognoscimus: *Pater, ignosce illis, neque enim sciunt, quid faciunt.*

144. INSTANT et aiunt, Christus iniuste accusat pharisaeos (Matth. 23, v. 29 et Luc. 11, v. 47) his verbis: *Vae vobis, hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum.... et dicitis: si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.... profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra.* Hac profecto actione pharisaei patrum suorum saevitiam in prophetas exercitam retractabant, quantumque in ipsis erat, reparare studebant; indeque laudem potius, quam reprehensionem me-

(1) *Iosephus* iudaeus non uno in loco mentionem facit de vitiosa pharisaeorum agendi ratione. Nam l. 15 *Antiq. Iudaic.* c. 25, meminit invidiae eorum. Et *ibid.* cap. 24, crudelium turbarum ab iis excitationum. Porro l. 1 de *Bello Iudaico*, c. 4, describit, quales regnante *Alexandro* pharisaei fuerint, his verbis: « Iungit autem se eiusdem mulieris (scilicet *Alexandrae*) dominationi quaedam iudaeorum factio, pharisaei: qui praeter alios

rebantur. R. Si increduli ex communi s. Scripturae interpretandi regula, hoc est, ex contextu, seu ex sensu antecedentium et consequentium obiecta nobis Christi verba examinarent, Christum nequaquam iniustitiae adversus pharisaeos commissae arguerent. Praecedit enim (Matth. 23, v. 27 et 28) reprehensio pharisaeorum, quod ob absconditam hypocrisin et iniquitatem essent similes sepulcris dealbatis, quae speciosa exterius, interius omni spurcitia plena sunt; huic comparationi subiungit Christus (Matth. c. 23, v. 29 et 30; ac Luc. 11, v. 47 et 48) locum ab incredulis hic obiectum, mox (loc. cit. Matth. v. 32 et 34) addens: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.... Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes.... et ex illis occiditis, etc.* Vide etiam *Lucam* loc. cit. v. 48 et 49. Ex quo toto contextu satis liquet, quod Christus actionem pharisaeorum circa prophetarum sepulcra iure merito reprehenderit, non sane quod illa instauraverint, atque ornarint; sed quod eiusmodi pietatis operibus populo persuadere voluerint, magna se in prophetas reverentia ferri, et alieno prorsus animo a patrum suorum crudelitate esse; cum tamen ipsa animorum suorum comparatione, duritia, invidia, et saevitia, qua Christum persequerentur, abunde ostenderent, veros se esse filios et imitatores patrum suorum

pietatem colere putarentur... ob eamque causam magis eos suspiciebat *Alexandra*... Illi autem paulatim foeminae simplici insinuati, quosvis pro sua libidine summovendo, deponendo, itemque vinciendo, ad solvendo, iam procuratores habebantur, prorsus ut ipsi quidem regis commodis fruerentur, expensas vero et difficultates *Alexandra* perferret. »

(2) Luc. c. 25, v. 54.

prophetas persequentium. Videantur hac de re *Cornelius a Lip.* (1), aut alii s. Scripturae interpretes.

145. QUARES VII. *An Christus (Ioann. c. 8) recte fecerit et docuerit, dum mulierem in adulterio deprehensam commeritae poenae subduxit, clam insinuando iudices ipsius etiam peccatores esse? An ideo scelera societatem humanam turbantia maneat impunita, quia et iudices peccatis coram Deo obnoxii sunt? R.* Pessime in Christo hic vituperant increduli, quod potius tanquam sapientissime gestum admirari deberent. Pharisaei enim venerant scilicet doloso consilio ad Christum sistentes adulteram, accusaturi eum vel tanquam inimicum legis Mosaeicae, si diceret, adulteram non esse lapidandam; si vero eam lapidandam assereret, ipsum apud populum traducturi quasi inhumanum et imitem, qui summe volebat haberi mansuetus et clemens. Sed Salvator eorum malitiam pudore suffudit, et mulierem liberavit sine legis laesione dicens eis: *Qui sine peccato est vestrum, primus in il- lam lapidem mittat*; quibus verbis legem non correxerat, nec poenam in scelus statuere prohibuit, sed significavit, pharisaeorum astutiam sibi non esse incognitam, eorumque pravam intentionem perstrinxit, se vero hac ratione a praeparatis insidiis mirabili sapientia expedivit.

146. QUARES VIII. *Quomodo increduli refellendi, dum passim calumniantur, doctrinam moralem Christi in evangelio contentam in multis articulis societati humanae, et bono reipublicae esse oppositam? R.* Eorum calumnias refellam, in sequentibus punctis contrarium demonstrando.

(1) *Comment. in Matth.* c. 25, v. 29, 50, 51 et 52.

Nam I. NON NOCET REIPUBLICAE, SED POTIUS PRODEST DEPRESSIO ET SUBIUGATIO PASSIONUM SEU CUPIDITATUM, QUAM LEX EVANGELICA PRAECIPIT. Scio quidem, quod auctor philosophicarum cogitat. §. 1 suum impium opusculum auspicietur dicendo: Cum christiana religio praecipiat, ut passiones, quae sunt incitamenta ad magna opera, deprimamus, inde futurum esse, ut et studium bonarum artium extinguatur, et praeclara opera virtutum omnino deficient, sicque ingens damnum reipublicae accrescat. Sed R. Contra experientiam omnium saeculorum aperte loquitur, qui ita ratiocinatur. Numquid enim in ecclesia Christi haud fuere omni tempore et sunt viri sapientes, atque omni genere doctrinarum et artium summopere commendabiles? Certe multa opera eorum, quae modo etiam leguntur, hac de re dubitare non sinunt. Et profecto si litterarum studium christiani neglexissent, nulla causa fuisset, cur *Julianus* apostata iuberet: *Ut ne quis in scholis oratores, poetas et philosophos veteres graecorum explicare auderet.* Cum enim multa inde a christianis peti videret, quibus ethnicorum superstilio everteretur, veritus ne his subsidiis... societas christiana maiores progressus faceret, suosque fines amplificaret, deiciendos nostros ex eo praesidio iudicavit. Ita disserit *Mamachus* (2).

Quam praeclara autem virtutum opera, reipublicae bono maxime conducentia, a christianis omni tempore gesta sint, nemo eruditorum ignorat. Quamvis enim nullum genus actionum fuerit, in quo non excelluerint; tamen quoad eas potissimum, quae in aliorum utilitatem cedere poterant, singu-

(2) *Originum et antiquit. christian.* l. 2, c. 8, §. 2, n. 11.

lariter dilaudari merentur. Quid non fecerunt, ut aliorum infirmitati aut egestati prospicerent, erroribus occurrerent, saluti providerent, commodis consulere, atque felicitatem hominum cum publicam, tum privatam promoverent? Contra vero quid per legem evangelicam unicuique non prohibetur, quod alteri noxium esse possit? Verum quod admirationem omnium commoveat oportet, illud est, quod per legem evangelicam non uni aut alteri tantum, sed omnibus hominibus caritas exhibenda, et non ab unius aut alterius tantum, sed ab iniuria omnium prorsus abstinendam est. Quo fit, ut per legem christianam utilitati cunctarum gentium perfectissime provisum sit.

Caeterum lege evangelica nobis non praecipitur, ut passiones extinguamus, sed ut rationi subiiciamus. Semel autem ac rationi subiectae fuerint, longe perfectius est bonum, quod operamur. *Cum enim bonum hominis, ut s. Thomas (1) eleganter ait, consistat in ratione, sicut in radice; tanto illud bonum erit perfectius, quanto ad plura, quae homini conveniunt, derivari potest.... Unde cum appetitus sensitivus possit obedire rationi, ad perfectionem moralem, sive humani boni pertinet, quod etiam ipsae passiones animae sint regulatae per rationem. Sicut igitur melius est, quod homo et velit bonum, et*

(1) 1, 2, q. 25, art. 5.

(2) Eccl. 55, v. 23 et 24. *In omnibus operibus tuis praeceles esto. Ne dederis maculam in gloria tua. Item III. Reg. c. 4, v. 29: Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam quae est in littore maris, id est, dedit ei Dominus latitudinem cordis, sive, ut Tirinus exponit, magnanimitatem, qua, quae sapientia et prudentia suggererant, audebat confestim in opus conferre. Eccl. c. 4, v. 28: Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.*

faciat exteriori actu: ita etiam ad perfectionem boni moralem pertinet, quod homo ad bonum moveatur, non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum. Hucusque doctor angelicus. Unde fit, ut per legem evangelicam nostrae passiones amittant, quidquid vitii in se habere possunt, novamque perfectionem acquirant.

COROLLARIUM. Quando increduli legem christianam, quae dominium passionum praecipit, impugnant, res ad quaestionem de nomine devolvitur. Si enim per *passiones* intelliguntur motus animi contra rationem insurgentes, eas merito lex christiana suppressi praecipit, ac insipienti foret, hanc legem improbare: si vero per illas intelliguntur fortes et vehementes animi motus, ex gravi causa concepti, et per rationem regulati, ii a religione christiana non solum non prohibentur, sed ab eadem excitantur et promoventur. Certe zelus gloriae divinae, et rectus ordo in omnibus actionibus, magnitudo animi, amor verae laudis et decoris tanquam totidem praeclaras virtutes in sacris literis (2) commendantur.

147. II. MANSUETUDO, HUMILITAS, ET PATIENTIA CHRISTIANA NON ENERVANT BELLICAM FORTITUDINEM DEFENDENDAE REIPUBLICAE NECESSARIAM. Equidem *Machiavellus* testibus *Petro Ribadeneira* (3), et *Feller* (4) docuit contrarium: sed ab

Ioan. c. 2, v. 17: Scriptum est: zelus domus tuae comedit me, id est, ardens studium vindicandi templum tuum ab omni iniuria: vel, si mavis, iusta indignatio concepta ex profanatione templi, occupavit me totum, ut iterum interpretes exponunt.

(5) In opere, cui titulus: *Princeps christianus adversus Nicolaum Machiavellum*, l. 2, c. 54 et 55.

(4) In suo *Catéchisme philosoph.* p. 2, cap. 5, art. 6, § 5.

utroque hoc cl. auctore fuit solide refutatus. Et profecto christiana mansuetudo, humilitas et patientia optime consociari possunt cum vera fortitudine, et necessaria suorum locorum ac iurium, totiusque reipublicae defensione. Mansuetudo enim, humilitas et patientia nobis a Christo tantopere commendatae virtutes dumtaxat excludunt odium proximi, et immoderatum ulciscendi studium; conservant autem et corroborant vincula societatis humanae: neque repugnant verae fortitudini; prout haec virtus moralis est (1). Nam cum virtutes omnes ita iunctae sint, ut earum nulla a caeteris segregata perfecta reperitur, quemadmodum sapientes philosophi et sanctissimi ecclesiae doctores probant; hoc ipso sequitur quod mansuetudo, patientia, caeteraque virtutes a lege evangelica nobis commendatae non solum veram fortitudinem, prout haec virtus est, non enervent, sed potius nemo vere fortis et magnanimus esse possit, nisi patiens simul sit et mansuetus: patiens in laboribus et doloribus, mansuetus et clemens in iniuriis perferendis, fortis et animosus in aggrediendis rebus arduis, quae etiam periculum vitae secum trahunt, et in adversis ac

(1) *Ribadeneira* loc. cit. c. 54, in haec recte ait: «Principio illud ponendum est, secundum *Platonis*, *Aristotelis*, *Ciceronis*, s. *Ambrosii*, aliorumque gravissimorum auctorum doctrinam et veram philosophiam, fortitudinem, de qua loquimur, non esse robur ac firmitatem corporis agrestem, vastam et immanem, quae inest nonnullis robustis, nervosis, atque haecertosis hominibus... Deinde non esse animum audacem et temerarium, quem in aliquibus cernimus, qui non perpendentes, an, quod attendant, aequum vel iniquum sit, honestum vel turpe... furioso quodam impetu insanoque abrepti, res labore periculoque plenissimas adiungunt, et eam, quae revera temeritas est fortitudinem putant, quae si vera for-

difficultatibus propulsandis: quae omnia subeat ob defensionem divinae legis, reipublicae, patriae amorem, aut aliam actionem honestam, et a virtute profectam. Atque hoc cognoverunt, et docuerunt ipsi etiam philosophi et scriptores ethnici, referuntque admiranda suorum principum exempla, qui cum leonum instar in hostes armatos irruerent, in subiectos ac humiles eximia benignitate, in ferendis iniuriis admirabili patientia fuerunt; etsi hi actus ethnicorum revera imago tantum et umbra quaedam virtutum essent. Romanorum etiam hoc erat insigne et ornamentum: *Parcere subiectis et debellare superbos*. Denique *Plutarchus* (2), *Alexandrum M.* laudans, dicit, virtuti eius militari humanitatem, et fortitudini mansuetudinem adiunctam fuisse.

Fatentibus igitur ipsis ethnicis non repugnat, fortitudinem bellicam stare cum mansuetudine et patientia. Dein quaero ex adversariis, an celeberrimus ille *bellidux Scanderbeg* desierit esse christianus seu evangelicae mansuetudinis et patientiae studiosus, quia viginti duobus praeliis turcas devicit? Nonne milites christiani saepenumero praecaeteris bellica fortitudine clarue-

titudo et virtus esset, eam aequae, aut etiam melius leonibus, tigribus... ac hominibus concederemus... Sed nobis sermo est de fortitudine, quae in virtutibus moralibus numeratur, et virum fortem munit, ut vano timori obsistat... et res difficillimas adeat, in quibus vitae sit periculum, et dura adversaque forti constantique animo perferat. Haec vero omnia faciat, quando et quomodo opus est pro Dei honore, pro religionis defensione, pro patriae salute. Eiusmodi fortitudinem virtutem dicimus: quam vero depingit *Machiavellus*, nec est, nec vocari potest fortitudinis virtus, sed barbara potius et inhumana feritas.

(2) Orat. 1 de fortit. *Alex.*

runt? Audiamus hac de re scribentem et fatentem ipsum *Voltaireum* incredulorum oraculum et antesignanum, qui de Marchione *Fenelone* ad *Rocovium* (*Rocoux*) occiso ita (1) ait: *Ipsius extraordinaria pietas augebat eius animositatem. Existimabat, se gratissimum Deo praestare obsequium, si pro rege suo moreretur. Profecto exercitus ex viris talia sensa foventibus congregatus, esset invincibilis. Sicut autem miles christianus pro bono patriae, aut in defensionem verae religionis pugnans ex spe immortalis praemii obtinendi, augmentum magnanimitatis et fortitudinis bellicae accipit: sic vicissim incredulus et nullius religionis homo, nisi sit prorsus stupidus et insanus, in periculis trepidare solet: prout iterum alius ex primipilis pseudo-philosophorum nostri saeculi aperte fatetur. Est is *Jacob. Rousseau* (2) ita scribens: « Irreligio, et universim philosophicus spiritus (3) animas amor vitae affigit, emollit, deprimit, omnesque passiones non nisi propriis seu privatis commodis inservire facit. . . . Eiusmodi philosophus parum curat, qualiter omnia in mundo fiant, dummodo ipse in suo cubiculo pace fruatur. »*

148. III. INCREDULI NON MINUS IMPIE, QUAM OMNINO IRRATIONABILITER MORALEM CHRISTI DOCTRINAM REIPUBLICAE BONO CONTRARIAM ESSE INDE CALUMNIANTUR, QUIA SERVATOR OPTI-

(1) Hist. de Louis XV, tom. 1, p. 209.

(2) Emile, t. 3, pag. 198.

(3) Loquitur *Rousseau* de pseudo-philosophis nostri temporis.

(4) Matth. c. 5, v. 39-42, Christus ait: *Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram: Et ei, qui vult... tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium: et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.*

(5) Per Nazarenam (id est, christia-

MUS PRAECIPIT (4), UT ACCEPTA INIURIA OFFENDENTI DIMITTATUR. Hanc calumniam non pauci ex incredulis (5) tam veteribus, quam recentioribus docent, quos tamen iam pridem refutarunt doctores christiani celeberrimi. Sic *Arnobius* (6) contra ethnicos ita ait: « Nam, cum.... magisteriis eius acceperimus, ac legibus, malum malo rependi non oportere; iniuriam perpeti, quam irrogare esse praestantius... habet a Christo beneficium orbis ingratis, per quem feritatis mollita est rabies, atque hostiles manus cohibere a sanguine cognati animantis occaept. » Et profecto, quidnam communi bono, utilius fingi aut excogitari potest, quam ut inter se omnes consentiant, cunctorumque animi mutuo amicitiae vinculo inter se coniuncti atque colligati sint? Hoc vero obtinetur, si iniuria accepta offendentibus dimittatur, quemadmodum in lege evangelica praecipitur. Quod sane eo magis mirandum est, quia semel posita observantia evangelici praecepti, non per unum aut alterum tantum, sed prorsus per omnes id utilitatis in commune bonum redundat, sicuti *Athenagoras* ipsis ethnicis exprobrabat his verbis (7): « Apud nos autem reperietis imperitos homines, et opifices, et anus, si minus verbis praestare possint eam, quae ex doctrina nostra percipitur, utilitatem, at factis eam.... de-

nam) religionem effici homines inertes, quia ab ea inspiratur venia acceptae iniuriae, calumniatur auctor *Epistolarum Iudaicarum*, epist. 48. Etiam *Celsus* christianos inde calumniabatur, quia apud illos erat huiusmodi sententia; non ulciscendam esse, qui infert iniuriam: si quis tibi maxillam alteram percusserit, praebe illi et alteram, uti apud *Origenem* legere est l. 7 contra *Celsum*, n. 58.

(6) L. 1 adversus Gentes.

(7) In *Legatione pro christianis*, n. 11.

monstrare. Neque enim verba declamant, sed recte facta exhibent, percutientem non repercutere, rapientem litem non scribere, petentibus dare, proximum ut seipsum diligere. » Similiter s. *Augustinus* (1) eos, qui dicebant evangelicum praeceptum de condonanda iniuria contrarium esse bono reipublicae, prolixè confutat, et inter alia sic ait: « Quid enim est respublica, nisi res populi? Res ergo communis, res utique civitatis. Quid est autem civitas, nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae?.... Divina auctoritate conscripta in Christi ecclesiis lectitantur, quis, vel ab illa religione alienus ita surdus est, ut ignoret? Ad hoc enim et illa pertinent, quae malunt.... alteram percutienti praebendam esse maxillam, volenti auferre tunicam dandum et pallium.... Hoc quippe fit, ut vincatur bono malum, et homo liberetur a malo, non exteriori et alieno, sed intimo et suo, quo gravius et perniciosius, quam cuiusvis hostis extrinsecus immanitate vastatur. »

Caeterum ex memorato praecepto Christi de condonanda accepta iniuria minime sequitur, nunquam licite et iuste bella geri, aut vim vi repelli posse; prout s. *Augustinus* et s. *Thomas* (2), item *Cornelius a Lap.* (3), aliique interpretes et doctores christiani distincte explicant. Unicum doctoris angelici (4) textum audiamus. « Dicendum (inquit), quod vindictio fit per aliquod poenale malum inflicturn peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim intentio feratur principaliter in malum illius, de

(1) Epist. 158, alias ep. 5 ad *Marcellinum*.

(2) In expositione, in cap. 5 *Matthaei*. Item 2, 2, q. 108, art. 1.

quo vindictam sumit, et ibi quiescit, est omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, quia omnes homines debemus diligere.... Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem adhibitionem eius et quietem aliorum, et ad iustitiae conservationem et Dei honorem, potest esse vindictio licita, aliis debitis circumstantiis servatis. »

Ex hisce vero omnibus patet, incredulos impie et prorsus irrationabiliter moralem Christi doctrinam reipublicae bono contrariam esse inde calumniari, quia illatae iniuriae condonationem praecipit. Verum sicut de quibusdam dicebat s. *Augustinus* (5), increduli illi, contra quos hic agimus, propterea putant, vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum.

149. AT QUÆRET aliquis, quomodo cit. loc. *Matthaei* illa Christi verba: *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram*, intelligenda sint; cum tamen neque apostolus *Paulus* alteram maxillam praebuerit percutienti, Act. c. 23, v. 3, neque Christus ipse Ioan. c. 18, v. 23? q. et dico, ex hoc ipso patere, quod id, quod hoc loco Christus docet, non semper et in omnibus circumstantiis sit praeceptum. Partim ergo praecepti, partim consilii est. Praecepti haec sunt: I. Ut vindictam

(5) Comment. in Matth. c. 5, v. 39, 40 et 41.

(4) 2, 2, q. 108, art. 1.

(5) Epist. 157, alias epist. 5.